



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 9. Quam in corpore passus sit mutationem Nabuchodonosor?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

tamen non animam in se, sed in usu actūq;  
duntaxat potentiarum attigerunt.

## §. IX.

*Quam in corpore mutationem passus sit  
Nabuchodonosor?*

In corpore autem sanè mutationes plu-  
res sustinuit. Nam 1. cū dicitur, *cor fere-  
detur ei*, potest cor propriè sumi; quia cor-  
dis, & per cor totius corporis complexio  
fuit in Nabuchodonosore commutata; ita  
vt ex humano ferinum fieret temperamen-  
tum. Quod si sanguis alimenti naturam  
sequitur; ex fœno, quem chylī stomachus;  
ex chilo, quem sanguinem hepar, ex hoc  
tali sanguine, quos spiritus, vel vitales,  
vel animales cor potuit in reliquum cor-  
pus deriuare? Hinc panè totus fuit effera-  
tus. 2. Ob hanc causam etiam externus  
corporis habitus magis fuit ferinus, quàm  
humanus; nullum igitur cultum admisit;  
vestes omnes, more insanorum, laceravit  
& abiecit. 3. Quia semper nudus incessit,  
foli, æstibus, rori, frigori, niuibus, pluuijs,  
omnibusq; cæli iniurijs, vt fera, obnoxius  
mirificè fuit vstus, denigratus, & detur-  
patus. 4. Sed præcipua fuit faciei muta-  
tio; cilia & supercilia non folliculis, sed  
corni-



cornibus paria. 5. Genæ nullæ apparebant, neque frons cernebatur, vix ipsi oculi, vix nasus eminuit è piloso vultu. 6. Labia herbam carpentia in rostrum induruerunt. 7. Ungues & barba & capilli (qui nisi etiam ijs, qui integris sunt sensibus, saepe refecentur, solent turpiter, ac ferinum in modum crescere,) ita fuerant aucti, vt barba quidem ad terram dependens humum verreret, capilli autem totum ferè corpus tandem velut palla contegerent; ungues verò adeò longi densatiq; fuerant, vt ungues referrent vulturum, aut aquilarum. Apud Danielem, c. 4. v. 30. dicitur, *capillos eius in similitudinem aquilarum creuisse*, pro *aquilarum*, Septuaginta habent, *leonum*. Vnde S. Epiphanius & Dorotheus putauerunt, regem in leonem transformatum. Sed Latina versio & Chaldaica habent, *aquilarum*, hoc est, vt in Chaldaeo textu legitur, *donec pili eius multiplicarentur, instar aquilarum*. Quare, sicut Nabuchodonosor incessu & forma boui similis erat, ita pili eius aquilæ comparantur, ob copiam & densitatē; itemque ob colorem. Sicut enim pili aquilæ, plerumq; sunt admodum nigri; ita & regis nigri

nigri



nigri erant, ex copia melancholiæ, quæ crassissimâ fuliginē exhalat; ex qua pili hi generabantur. Poterant etiâ pili eius aquilinis æquiparari, ob prolixitatē & formâ; vt enim cristæ in capite aquilæ prolixius excrescunt, eriguntur, crispæq; & horridæ, & minaces existunt; ita, & regis huius pili, instar rapacis auis, vndiq; assurgebant, vt vel erinacius videri posset. 8. Quamquã etiam cutis ipsa vrsi aut elephanti corio similis dura erat, & ferina, crassissimisq; comis horripilabat; immò pili setas ipsas referebant, quia à *copiosissima fuligine crassissima melancholia oriebantur*, inquit etiam Valesius. 9. Ad hæc ipse incessus & figura, erat bestię, non hominis. Neque enim os sublime ferebat, aut cælû tuebatur, vt erectos ad sidera vultus tolleret, quemadmodû homo, & bipes; sed curuatus, pronus & cernuus, manibus pedibusq; reptabat, quemadmodû bestia & quadrupes, & Anthapathitæ, qui instar quadrupedû incedunt. 10. Idcirco manus, quibus repererat, & genua quibus nixus erat, ita induruerunt, adeoque incalluerunt, vt bouinis vngulis, aut calcibus equinis ambulare videretur. 11. *Addunt ali-*

*qui,*



qui, ait Cornelius à Lapide, regis huius ge-  
nerum vertebrae inversas fuisse, ita ut extror-  
sum quadrupedum more prominere; idque ut  
pari cum bobus celeritate curreret, & inaequa-  
lia loca transiliret: nam si genua eius introrsum  
humano modo plicata fuissent, fuisset ipse ad  
valem motum & saltum ineptus. Hac opinio  
videtur congrua & probabilis. Nam hic situs  
ad incedendum, more quadrupedum, est natu-  
ralis, & sane necessarius ad hoc, ut talis in-  
cessus continuari, diuque durare possit, ut patet  
experienti, & docent populi singularis ve-  
locitatis, quos Gellius lib. 9. c. 4. refert  
vestigia pedum habere retro porrecta, non  
ut ceterorum hominum prospectantia. 12.  
Bovina Nabuchodonosori cornua, existi-  
mant nonnulli, pictorum licentia & privi-  
legio appingi; sed, quamvis de his nihil  
certi dici queat; non est tamen incredibili,  
ei aliqua cornua adnasci potuisse, &  
temperamento humano in ferinum commu-  
tato; cum non solum in fabulis legamus  
Actiones cornutos, sed id etiam factitatum  
in historijs reperiamus; ut taceam, faciem Exod. 34.  
Moysis cornutam apparuisse, quippe quia 29.  
illa cornua alterius fuerunt rationis, radijs  
circum caput honorifica luce emicantibus.

Illud



Illud tamē hinc dubiū existit, num & dentes superiores amiserit Nabuchodonosor, quorū materia in cornua missa sit, quæ subierunt. Factum & hoc esse credibile est; ita enim, more boum, fœnum potuit commodiùs carpere ac ruminare. 13. Quidā eidem dependulā retrō caudam adiiciunt, quod etsi necessariū non est, tamen naturā vim non excedit, talē humano corpori adde-  
dere appendicem. Cū id supra docuerimus in alijs de facto contigisse; ac præfertim omnibus illis, qui per ludibrium S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi. e-  
quo caudā demessuerunt, vti & vniuersis, qui ab illis postea nati sunt; nati sunt enim cum annato sibi ad imum tergum muscario; vt ipsi portarent, quod equo abstulerunt. Quod etsi Deus non sine miraculo fecerit, nihil obstat, cū multa & hīc miracula interuenerint in ista metamorphosi. Potuit ergo & Nabuchodonosori etiam hunc Deus apponere colophonem, vt vndique more bestię ornatus antè iugo ferendo idoneus esset, retrō autem etiam hac dependentia insignis fieret; quam, vt & cornua, extemplo ad Dei nutum, iterum amittere potuit. Idcirco ait: *Figura mea,*

Polydor,  
Virgil. l.  
33. hist.  
Angli.

Dan. 4. 33.

*reuerſa*



*reuerſa eſt ad me.* Debit igitur abiſſe vt re-  
uerti poſſet, hoc eſt, ex humana ferina fa-  
cta fuiſſe, vel ſimilis ferinæ. 14. Eſi for-  
taſſe initio, quando cœpit inſanire, ſicut  
non ſtatim hirsutus fuit, ſed crines & vn-  
gues cum tempore creuerunt, ita neq; ſer-  
monē illico perdidit, ſed paulatim amentia  
magis magiſque dominante, abſurdiùs lo-  
cutus eſt; tamen videtur tandem cum  
mentis vſu etiam linguæ vſum adeò perdi-  
diſſe, vt neque articulatas ampliùs huma-  
naſque voces ederet, ſed inconditas, ac  
beſtiales, inſtar bouis mugientis. Siquidem  
qualis eſt imaginatio, talis ſolet eſſe locu-  
tio, ſeu vox animalis, quòd ſibi aliquid  
imaginatur; cum ergo in Nabuchodono-  
ſore imaginatio tandem ferina fuerit, ne-  
ceſſe erat & ferinas voces, immo furiales  
ab eo effundi, tantoq; truculentiores, quia  
fauces craſſiore pabulo raſæ vocem exa-  
ſperant. 15. Quia enim non ſolùm cum  
feris, quaſi fera in ſiluis, verſabatur, ſed  
etiam earum victu vtebatur, herbis ſcilicet  
ac radicibus veſcens, lædebat vtique deli-  
catum priùs guttur ac fauces; quæ cibi  
cruditate & aſſiduitate vocis viam laxaue-  
runt. Neque debet hoc ex libris *Incredibi-*

Vide Lu-  
dou. Mo-  
linam 1. p.  
q. 111. &  
Delrium  
lib. 2. de  
Magia. q.  
18.

Z

lium



lium Palæphati putari; cum non solum  
 diuina scriptura dicat, *fœnum ut bos come-*  
*dit,* sed etiam Aben Esra de homine quo-  
 dam melancholico affirmet, eum in mon-  
 tes Sardinia secessisse, ibique cum ceruis  
 diu herbis victitasse. Quod & sani homi-  
 nes plurimi fecerunt, qui deserto mundi  
 tumultu in eremum secesserunt, & amore  
 cæli solis herbulis, ac radicalis vitam su-  
 stentarunt. Immo vixerunt multi rebus,  
 à quibus humana natura longè magis ab-  
 horret. Ut enim taceam Argæos pyris sil-  
 uestribus, Arcades glandibus, millio Sau-  
 romatas, Persas cardamo, nasturcioque in  
 cibum vsos; certè Æthiopes, vti & Ioan-  
 nes Baptista, locustis vescebantur; Ophio-  
 phagi autem serpentibus comedendis; &  
 quædam femina Colonia araneis, oculato  
 teste Alberto Magno, & multi hodie, quos  
 ipse vidi, tam araneis, quàm alijs rebus ve-  
 nenatis glutiendis, non minùs quàm olim  
 Mithridates, assueti nihil inde damni sen-  
 serunt; idque non sicut peculiari Numinis  
 protectione olim Apostoli, & ij qui Apo-  
 stolis crediderunt, quibus dictum est: *ser-*  
*pentes tollent; & si mortiferum quid biberint,*  
*non eis nocebit.* sed vel quia antidoto muni-  
 ti, vel

Matth. 3.

4.

Marci. 1. 6

Marci. 18.

16.



ti, vel quia consuetudine in naturam transeunte tuti fuerunt. Potuit ergo, quamuis in delitijs antè enutritus rex Babylonis herbis & graminibus vitam conseruare, præsertim cùm talem cibum imaginatione atque appetitu ferino & bouino (hoc enim est *cor fera*) sibi à Deo in pœnam indito, appeteret. Et talis fuit, per septennium, in corpore Nabuchodonosor.

§. X.

*Dei erga Nabuchodonosorem iustitia, quàm clemens fuerit?*

Vt autem diligit misericordiam & iudiciũ Psal. 32. 5.  
Deus, ita neq; ista regis pœna sine misericordia & clementia fuit. 1. Vixit inter feras ac belluas, tanto tempore, nulla eum lædente, quia imaginatæ sunt, eum ferã esse nouam ac monstrosam, & omnibus alijs vel terribiliorem, vel minùs idoneam, vt deuoraretur; aut certè, quia Angelus illius bestias cohibuit, ne eum inuaderent, ac deartuarent. Quo pacto postea ipse Daniel de se dixit: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* 2. Quæ maior fuit misericordia, non solùm per somnium præmonuit huic regem Deus obscure, quid futurum esset,

Daniel. 6.  
22.